



REPETITA PRÆLECTIO

IN PETITIONE CATHEDRÆ DECRETO-
rum per Doctorem Lambertum Vidaña.

Senecca de tranquil. animi, cap. 5. *Aestimanda sunt ipsa, quæ aggredi-
muntur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus comparanda.*
O si huius doctrinæ mentem in præsenti calluisse! Rem sanè diffi-
cilem fui aggressus, non me latet; præcipue dum tanti Oppositoris
soffragantia merita conspitio; cuius scientiæ, & doctrinæ eruditio nem
unicam communis credimus plausu. Arduam Prouinciam subeundam tē-
tavi mehercule fateor. Necesse est opprimant onera, quæ ferente maiora
sunt. Sed tandem aliqua vis me detulit, ut per hos legitimos transmittes
quorumdam calumniantiam iniquitates repellerem. Idecirco non solum
ferendus in hoc meus error, iniō verò etiam adiubandus, ut Cicero ad At-
tic. epist. 42. Præcipue cum nec putarem esse alienum institutis meis hæc
attentare, dum post tot lucubrationam curricula fortuna nobis hæc otia
fecit. Cæterum solatio mi' erit; ut qui me damnant, & facta referant,
quibus in præsenti inscriptione opem ferre instituo: siquidē magis veri-
tas oculata fide, quā per aures animis hominū insfigitur, iust. in §. fin. inst.
de gradibus: ideo necessarium duxi ea, quæ protuli, quanta potui fidel-
itate transcribere, ut oculatis inspectio firmum in iudicando iudicium
operetur ad tex. in l. si irruptione §. §. i. ff. fin. regun.

FACTI NARRATIO.

De lingua ad Calamum.

Cecidit Academica sors super caput de affinitate consanguinitatis in ordine caus. 35. quæst. 1. alias q. 2. & 3. hæc sunt verba. *De affini-
tate consanguinitatis per gradus cognationis placuit, usque ad 7. generationem
obseruare: nam & hereditas rerum per legales instrumentorum diffinitiones
sancta usque ad 7. gradum protendit heredum successionem. Non enim suc-
cederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur. In cuius quidē enuclea-
tione, & expositione ductus auctoritate politiorum utriusque literatu-
ræ interpretum ita me gessi, literam paraphrasie explicando.*

Ait noster tex. de affinitate consanguinitatis, in quibus verbis prins
duxī speculandum, circa quādam amphibologiam, siue termino-
rum incompatibilitatem, quæ statim in limine textus se offert, dum
tex. incipit de affinitate consanguinitatis, quoq; do enim mixtæ ser-
mo haberi potest de affinitate consanguinitatis. *ad* affinitas excludat
consanguinitatem, & è contra consanguinitas affinitatem expellat. Affi-
nitas enim est, Propinquitas personarum ex carnali copula proueniens omni-
carens parentela, Sanchez lib. 7. disp. 64. num. 1. vel ve Baldi & commu-
niter DD. ad §. affinitatis quoq; inst. de nuptijs, est diuersarum cognatio-

num per nuptias copulatio, l. non facile, §. ad fines, ff. de gradib. affin. cognatio vero est sanguinum unitas, vel attinentia personarum proueniens ex eo, quod una descendit ab alia, vel ambæ ab una; ex quo cognati quasi uno communiter sanguine nati, l. i. §. cognati, ff. unde cognati, &c. leg. l. non facile, §. i. ff. de gradibus; quomodo ergo compatitur in nostro tex. quod possit sermo haberi de affinitate consanguinitatis mixte, cum nullam inter se mixtionem, aut compatibilitatem recipiant.

Sed hæc facile percipienda erunt, & huius amphibologij compatabilitatem inueniemus, si legendam suscipimus decisionem Imperatorum Arcad. & Honor. in l. lancimus, C. de poenis, vbi affinitas, idem quod propinquitas sonat, quo in sensu accipi debet in nostro tex. ac si dicere de propinquitate consanguinitatis, &c.

Ait deinde tex. per gradus cognitionis, quibus in verbis denotatur propinquitatem metiri per gradus ad tex. in l. i. §. primo gradu, ff. de gradibus: Et dum gradus cognitionis proponit tex. duxi animaduertendum, loqui tex. de cognitione genericè sumpta, quatenus agnationem etiam comprehendit, ea nimis ratione, quod impedimentū ad matrimonium contrahendū non solū militat in cognitione specifica, quatenus denotat vinculum sanguinis præcise, per fæminam nectens, ad Iust. in §. sunt autem agnati inst. de leg. aga. suc. l. 2. §. 4. ff. de suis, & leg. sed etiam in agnatione quatenus vinculum sanguinis est per masculum proueniens, idem impedimentum versatur. Sicq. cum loquatur tex. de impedimento ex sanguinis vinculo resultante, & hoc verificetur in agnatis, dicendum est eos voluisse comprehendere sub verbo cognitionis.

Ait tex. placuit. &c. Ex qua loquendi formula denotatur, decisionem nostre tex. fuisse pontificiam, non conciliarem, licet in Concilio Meldensi relata fuisse, ut notant Ibo Cathotensis ad nostrum tex.

Et fundamentū potest de summī ex illa ratione, quod per verbū placuit frequentet denotatur in iure voluntas unius principis superioris, vt constat ex ciu. li iurisp. apud Iust. in §. principum placita inst. de iure nat. gent. & ciu. l. i. §. sed & quod, ff. de cōst. princip. ratiocinatur late, & eruditus Ant. Faber. in iurisp. pap. tit. 2. princ. 8. illat. i. cum sequentib. comuniter DD. ad leg. placet 79. ff. de acq. hæred.

Cum ergo R. P. tanquam Ecclesiæ Princeps, ex potestate immediate concessa à Christo Domino, sit Christi Vicarius, siue mundi Præses, Barbos. de iure Ecclesiasti. lib. 1. cap. 2. nu. 17. D. Ioannes Solorzano de iure India. lib. 1. cap. 23. num. 71. Et non solum spiritualem potestatem, sed etiam temporalem habeat iurisdictionem, vt deducitur ex illo Ieremiæ 1. possuit et super regna, & gentes ut euellas, destruas & edifices, quibus in verbis satis demonstrata extat temporalis iurisdiction. Et suadetur manifeste ex Bonif. 8. in Extr. u. vnam sanctam, §. in hac potestate, vers. vterque de maiorit. & obediens ibi. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ spiritualis scilicet gladius, & materialis. Licet aliqui hæretici contrarium teneant, ex illo ad Tim. heum 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: Verum ho. eruditus conuincit, & reprehendit Cæsar Catena infra. de offic. S. Inquit. par. 1. §. de potestate R. Pontif. in temporalibus febre per totum consulat qui plura de his.

Ait tex. usq; ad septimam generationem obseruare, ex quibus verbis de-
pre-

3

prehenditur manifestè, fuisse antiquam obseruantiā, in matrimonijis contrahendis, ut nullatenus cognati, siue consanguinei ad matrimonijū contrahendum admitterentur, nisi ultra 7. gradum cognatio protenderetur; ut rectè notatunt Couarrubias, Lay man, & alij infra citandi ad corroborationem conclusionis.

Ait præterea noster tex. *Nam & hæreditates per legales instrumentorum sanctiones usque ad septimum, &c.* quibus denotatur usque ad istum gradum hæreditatem legitimam deferti; circa quam decidendi rationem à nostro tex. insinuatam possem plura ex ciuii lucis p. de sumpta adferre, in quibus, licet ansam litera præueat, pro auncie non immoror, ut à calumnijs abstineat, neglecta quorundam syllauatum auecupium notatione, qui autemarunt, ita me minus propriè loquutum fuisse, dum protuli, ut à calumnijs abstineat; sed certe quidem talis incœpādi methodus pungit, nō per forat: D. August. de his loquens in Ptol. 55. non ergo ut meat unusquisq; vestrum callidos insectatores, auecupes verborū dinumeratores penè syllabarū.

Ait denique tex. *Non enim succederent nisi de propagine, &c.* ad notandum iura sanguinis, iura successionis inducere ad tex. in l. 2. §. legitima hæritas, ff. de suis, & legit. Cum pluribus alijs à quibus consultò abslinui.

Fuit verò in causa huius nostræ quæst. & cap. vi testatur Gratianus noster. Quod quidam vir, mortua uxore, aliam sibi in matrimonio copulanit, quæ uxori defunctæ quarto gradu consanguinitatis: viro autem sex ta linea cognationis adhærebat. Post tempus vero, liberis ex ea susceptis, apud Ecclesiam accusatur, iste prætendit ignorantiam.

Variæ ex hac causa ortæ fuerunt quæstiones. Prima an liecat aliquam ex propria consanguinitate ducere uxorem? Secunda usque ad quem gradum? Tertia an de consanguinitate uxoris aliqua possit in coniugem duci? Deinde quomodo gradus consanguinitatis essent computandi? An legitimi filii reputentur, qui nati sunt ex tali matrimonio inter consanguineos contracto? Et tandem si ignoranter de consanguinitate, vel affinitate aliqua in uxorem ducta est: an ex dispensatione possit viro suo adhærere?

Sed reddeundo ad primam, & secundam quæst. quæ pundi ad nostrum tex. pertinent: casus, seu hypothesis, quæ ad rem valet figurari, taliter procedit. Quidam ignorantia ductus contraxit matrimonium cum consanguinea sua intra septimum gradum: dubitatum exti. it apud R. P. Gregorium IV. cuius decisio fuit relata in Concilio Maldensi, utrum scilicet prædictum matrimonium subsisteret; exititque responsum nullatenus subsistere, ex ea ratione, quod usque ad septimum gradum consanguinitatis observanda erat prohibitio contrahendi matrimonium.

Sed primæua ratio dubitandi insurgit ex eo nimis fundamento, quod cum causa matrimonij adeo favorabilis sit, ad tex. in c. fin. de sent. & re iud. glo. in cap. ex literis de probat. tenent lo. And. de sponsalibus. n. 3. Hostiens. ibi dicitur. Abbas in cap. fin. n. 7. de probat. Nauarro sub tit. de sponsalibus cons. 25. num. 1. Mascard. de probat. concl. 1013. a princ. Ideo dicendum videbatur, quod nullatenus in tantum coerceri, & restringi debebat facultas contrahendi, ut usque in 7. generationem prohiberentur consanguinei matrimonium contrahere; præcipue cum conueniat Republicæ illud frequentari, ad sobolem propagandam, & Republicam liberis ampliandam; ut eleganter dicebat I. C. Pomp. ad tex. in l. 1. ff. soluto maritim. l. hoc mo-

do 64. ff. de cond. & demonst. l. cum ratio 7. §. si plures, ff. de bonis dñm.
l. l. §. generaliter de ventre in poss. mit. iuncto cap. tanta qui filij sint leg.

Ob idque maxima cura fuit sapientissimis Republicæ gubernatoribus maximis præmijs, & honoribus Ciues ad matrimonia frequentanda allècere. Tradunt Conanus lib. 8. com. cap. 1. Gutierrez lib. 2. can. quæst. cap. 25. obseruat Tiraquel. de leg. connub. & alij multi quos longa manu congesit Cenedo collect. 14. ad decretum. Ergo ex his dicendum videbatur nulla iuridica ratione posse fundari, rectè in tan longæuo gradu matrimonium impediri.

Sed hac ratione dubitandi, tot congruentijs roborata, minime refragante conuenientissima est matrimonij prohibitio, consanguinitatis iure introducta; propter reuerentiam nempe, quam cognati sibi ipsis exhibere debent, ob originem ab eadem stipite tractam, & sanguinis communio nem, cui reuerentia valde detrahit actus coniugalis. Quam ob rem ipsimæ coniuges pudore quodam suffunduntur, & verecundia quadam inter se ipsos contracta actu vtuntur. Quæ ratio adducta fuit à Diuo Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. Et desumpta est ex Diuo August. lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 16. tenet Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 53.

Iam litera paraphrastice explicata, rationibusque dubitandi, & decidendi ita breuiter decursis. Cōclusio quæ ad textū genuinè expectat, hæc est. *Consanguinitatis iure usque ad septimā generationē prohibitum extat matrimonium contrahere.* Comprobat tex in cap. ad Sedem 35. q. 5. desumpto ex epist. Alex. 2. ad omnes Episc. cap. nullum, ex Iul. Pontif. 35. q. 3. cap. nulli desumpto, ex Conc. Lugdun. 35. q. 2. & ex D. Greg. lib. 12. epistol. epist. 31. ad felicem, ex Concilio Tolet. lib. 2. cap. 5. consonat tex. in cap. quod dilectio de consang. & affin. cap. de infidelibus eodem, cap. contradicimus 35. q. 2. cap. ad audientium, vers. sed ut veridicæ leges, cap. primo gradu, vers. septimo gradu 35. q. 5. cap. progeniem 35. q. 1. cap. Pictatum 30. q. 3. cap. de consanguinitate 35. q. 1. consonat etiam cap. fin. §. si quis vero de cland. despōns. Clement. vnic. de cons. & affin. facit l. sororis 39. §. 1. & 1. iure gentium 68. §. qui verò, ff. de ritu nupt.

Exornant Hostiensis, Ioa. And. Zabarela, Anchar. Burrius, Panormit. Præpositus, Alexander de Neuo, & alij antiquiores Barb. in collect. ad tit. de consang. & affi. lib. 4. decret. ad tex. in cap. non debet 8. Viuvianus in rationalibus ad ius Pontif. ad lib. 4. decret. Alagona in compend. iuris Can. pag. 589. Cuiatius ad lib. 4. decret. ad tit. de consangin. & affin. Couatub. in epitome lib. 4. decret. cap. 6. §. 6. num. 9. Bonacina de impedimen. matrim. q. 3. punct. 5. §. 1. num. 7. cum sequentib. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 53. num. 1. & sequent. Layman. tom. 2. tract. 10. par. 4. fere per totum, & punctum in fine.

Comprobata fuit conclusio ex cap. nullum 35. q. 2. vbi cabetur, quod nulli permittatur intra septimū gradum ex propinquitate sui sanguinis, vel vxoris matrimonii contrahere, ex illa ratione, quod ita contrahentes incesti macula copulantur. Similiter extat comprobata ex cap. progeniem 35. q. 2. vbi decretum fuit à Grego. Papa ad Episcopos Galliæ, quod unusquisq; progeniem suam vsq; ad septimam generationem obseruaret,

Sed contra adæquatam nostri tex. & conclusionis decisionem produbitandi ratione, desumpta ex varijs assertiōnib. hæreticorum antiquæ nostræ

Nostre tempestatis ut fuerunt Lutherus, Vbiclef, Bucerus, & alij. Sic insurgo. Potest consistere matrimonium in quovis consanguinitatis gradu dēpro i. ergo &c. probantq; antecedēs dicēdo: Potius humanæ inuentionis, aut fictionis, quam alicuius ioxitæ legis dispositionis est prohibitio ultra primum gradum, de qua prohibitione tārum per diuinam legem constat Leuit. 18. ergo minus recte extat in concl. dictū: Probatur antecedēs, quia Christus Dominus non venit in mundum ad leges politicas condendas, sed ad verbum Dei enuntiandum, ut constat ex Concilio Trident. cap. quo factum 2. sess. 6. de iustific. Barbos. in collect. ad prohe. decretal. verbo Rex pacificus, & de potest. Episc. part. 3. alleg. 79. num. 21. in fine. Rebus in tract. de pacificis poss. in princ. nu. 1. vers. 3. sed ita est, quod matrimonium pertinet ad causam politicæ colligitur ex l. tempor. §. 1. 1. generaliter, §. vlt. ff. de ritu nupt. & ex alijs innumeris iuribus, ergo, &c.

Deinde, quia in antiqua lege Dominus præcipit Moysi, ut nullus duceret vxorem, nisi de propria Tribu, & familia, Num. 36. Constatque ex pluribus sacræ paginæ exemplaribus. Abraham namque Sarai filiam fratris sui in uxorem duxit. Isaac Rebekam in uxorem accepit, quæ erat filia consobrini matris sui. Frustra ergo Ecclesia corrigere intendit legem, siue statutum diuinum; dum tam in longæuo gradu intendit matrimonium prohibere.

Præterea, quia Deus satis nouit intra quem gradum, & inter quas personas expediret matrimonium iniri, aut impediri: sed tantum prohibuit in primo gradu, ut constat ex cap. Leuit. 18. ergo minus recte RR. PP. intēderunt tan longè prohibitionem extendere, diuinum præceptum excedendo.

Insuper, & etiam, quia inter affines nulla prohibitio extarat in antiqua lege, ergo neque inter consanguineos; cū eadem ratio militet, ex illa ratione, quod cōmunis sit parētela vnius cōiugis alteri, & alteri alterius, sicut vnicuique sua consanguinitas; tum propter sanguinis mixtionem, tum propter carnis vniōnem, siue vnitatem ex illo Genet. 2. Erunt duo in carne una, itaque eadem obseruatio debet dari in parentela uxoris respectu viri, ac in sua propria, cap. sancti 35. q. r. Nunc sic eadem obseruatio in una, ac in alia, sed ita est, quod in parentela uxoris non extabat prohibitio; imò præceptum aderat possituum in antiqua lege: ubi præcepit Dominus, ut si frater absque liberis moreretur, frater eius superstes uxorem defuncti sibi copularet, & ex ea semen fratri suo suscitaret, Deut. 25. Igitur ita pariter est intelligendum, quod in consanguineis procedat propter rationes allegatas.

Secundo sic insurgo. Sacris Canonibus extat cautum, quod prohibitio non debet extendi ultra quartum gradum erg. contra concl. Probatur antecedens ex cap. non debet 8. de consanguin. & affin. vbi matrimonium intra quartum gradum tantum prohibetur.

Nec adæquatè satisfactionis erit dicere, quod decisio d. cap. non debet, fuit derogatoria nostri tex. ex eo, quod fuit posterior; siquidem ut testatur Couarrub. hæc fuit prolata sub Innocentio III. qui sedet anno salutis 1200. at illa nempe nostri tex. sub Iulio I. qui sedet anno 340. si que tanquam lex posterior derogat priorem ad tex. in l. si quis in principib. ff. de leg. 3. cum vulgaris.

Nam

Nam aduersus hanc solutionē efficacissimē, sic insurgo. Etiam tēpore antiquorum Canonum hoc ita procedebat, ut prohibitio non ultra 4. gradū extēderetur, ergo &c: antecedēs prou. ex cap. quādā lex 35. q. 3. vbi cauetur, quod Anglicis erat permīsum mattiū. in 4. cognationis gradu contrahere, ibi enim refert Gratianus noster ex Greg. Papa, quod licet lex Romanorum permitteret matrimonium in 2. gradu contrahere, nempe inter filios duorum fratrum, vel frātris, & sororis, ex iuli. in 5. duorū fratrum inst. de nuptijs. Tamen quia ex p̄perimento constat, ait tex. R. P. in epist. ad August. Anglorum Episcop. ex tali coniugio sobolem non p̄esse succrescere, ideo v̄lque ad 4. gradum, equum v̄llum fuit matrimonij prohibitionem extendere: Ergo ex hoc tex. liquidō constat, quod nulla sit solutio, quę solum in eo fundatur, nempe quod noster tex. procedebat de iure antiquo: siquidem adhuc in antiquis Canonibus contrarium reperitur.

Et deinde, quia etiam in antiquis Canonibus reperitur, quod affines permittebantur in quinto gradu matrimonium contrahere; in quarto ve- zo si inuenti erant non separabantur, & desūptate ratione tex. in cap. æqua liter, cap. sanè, cap. si vir, & vxor 35. q. 2. & 3. Concludit manifeste quod idē procedat in consanguinitate: antecedēs, in quo erat difficultas ex alleg. cap. nullum 35. q. 1. constat, & probatur ex cap. de propinquis 35.: quāst. 1. ergo ruit solutio.

Tum & etiam contra nostrum tex. quatenus septimum præcisē præfixit gradum insurgitur ex cap. vñico 35. q. 4. de sumpto ex Isidoro Etymologiarum lib. 11. cap. 6. vbi cauetur ex Isidori rogati responso, quod tantum v̄lque ad sextum gradum consanguinitas consideri potest: g. stufstra in nostro tex. in 7. consideratur. Reddit rationē Isidorus probando antecedēs. Nā sicut sex etatis mūdi generatio, & status hominis finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminatur. Ergo ruit conclusio, quatenus septem assignat gradus.

Et tandem in totū destruitur decisio nostr. tex. hoc p̄acto, quia ex Sacrorum Canonum dispositione constat, quod nullas gradus sit præsus, ad hoc vt iure consanguinitatis noptiæ in impediantur, g. minus recte noster tex. & conclusio septimum præfinit: antecedens probatur ex de cessione Concilij Vormatiens. Can. 32. collato in cap. in copulatione fidelium 35. q. 2. vbi in copulatione fidelium generationis, numerus, sive gradus non definitur: Sed statuitur, vt nulli licet fidei de consanguinitate, seu cognatione accipere vxorem, donec generatio recordatur, aut cognoscitur. Ergo ex hoc liquido constat, quod in matrimonio contrahendo nullus gradus erat stabilitus, adhuc iure antiquorum Canonum.

Secundum argumentum p̄put de sumptu ex illis verbis nostri tex. Nam, b̄ereditas rerum per legale instrumentorum sanctiones v̄lque ad septimum gradum prosendit b̄erendum successionem. Quibus in verbis denotatur rationem, in qua fundata fuit nostri tex. decisio, eam nimitem suisse, quia b̄ereditas v̄lque ad istūm gradum protendebatur.

Ratio nostri textus non est firmiter vera: ergo nec decisio, quæ in ea fundatur in uiolabilitate obseruanda; antecedens probatur: nem̄ iuris ciuilis sanctione b̄ereditates legitime v̄lque ad 10. gradū deferreban̄t, sive de

de lege 12.tab. siue de edicto Prætoris quæramus constat ex Iust. in §. hoc
loco inst. de succ. cogn. l. 1. §. cognati, ff. de suis, & legit. quæ quidem ci-
vili sanctio, non latuit iuri Canonico, vt constat ex cap. ad fedem,
vers. hi ergo 35. q. 5. Ergo si hæc fuit ratio decisionis, decisio corruit,
siquidem ratio non firmiter vera; vel dicendum prædicta ratione inspe-
cta, quod usque ad 10. gradum debebat militare prohibitio.

Nec satisficerit qui dixerit, ex dictis iuribus non argui contra nostri
tex. eo quod illis caueatur, vt usque ad 10. gradum hæreditates legiti-
mæ defertantur: nam in hoc non opponuntur rationi nostri tex. quia mai-
or numerus non excludit minorem: non enim, qui minora concensit, pro-
hibuit majora tex. in cap. sunt qui dicunt 27. q. 2. cap. illud 95. dist. cap. si
quis diaconus 50. dist. l. si quis diē, §. si plures, ff. de arbitris arguimento tex.
in cap. quomodo 31. q. 1. ex facto, §. item quæro, ff. de vulgari. Nam
contra hanc solutionem insurgo probando successionem ab intesto, non
extendi nisi usque ad 6. gradum: ergo iam non subsistit superior solutio,
in eo fundata, quod maior numerus minorem comprehendat: anteced-
dens probatur ex l. 1. §. hæc autem, ff. unde cognati ubi consanguinitatis si-
ue cognitionis iure tantum, usque ad sex gradus successio defertur, ergo, &c.

Nec diluet, qui tentauerit dicere dic. legem 1. loqui de successione in-
testata iure prætorio delata, in qua tatum usque ad 5. gradus admittuntur
cognati, ex iust. in d. §. hoc & illud in fine; nostrum vero tex. loqui atre-
to iure ciuili. Nā insurgitur afferendo, quod de iure prætorio in cognatis
nō datur successio, ergo, &c. probatur antecedens ex l. fin. ff. de successor.
edict. Et ulterius solutio in totum conuincitur, quia nulla differentia in
successione intestata consideratur inter cognatos, & agnatos, ut constat
ex Iust. Nonell. 118. g. solutio, quæ in dicta differentia fundatur est nulla.

Caterum his rationibus dubitadi minime refragantibus nostri tex. de-
cessio suis temporibus adaptata firma manet, quatenus prohibet inter
consanguineos matrim. contrahi; quod maxima fundatur ratione; nem-
pe, quia decet matrimonia contrahi illo pacto, vt deseruant bono pu-
blico politico; cum equidem homo sapientia natura sit animal politicū, ex
Arist. 1. polit. cap. 2. debet eo pacto matrimonium copulari, quod ad pu-
blicam Ciuitatis bonum conducat: hoc autem petit consanguineos, non
iungi matrimonio, ex eo quod hi se jere consanguinitatis satis sint de-
tinuti.

Deinde quia si inter consanguineos matrim. absolute admiceretur im-
pediretur amicitiae vincula protendi, quam esse maximum Ciuitatis bo-
num negari non valet, teste, Arist. 2. polit. cap. 2. 24 fin. D. August. de Ciu.
Dei dict. capis. Quibus adstipulatur, D. Ambrosius epist. 66. ad Paternum.

Et tandem, quia cum consanguinei in eadem domo frequenter con-
tentur, aut passim se inuisant, domosque in eisdem frequentent; si non in-
terdicteretur matrimonium inter illos magnus incestibus additus pate-
ret, à quibus valde arcet non posse matrimonium inter eos consistere.

Iure autem optimo Ecclesia hanc prohibitionem induxit, quā postea
pro temporum varietate ad 4. gradum restrinxit, vt constat ex dict. cap.
non debet 8. de consang. & affin. qui non tam contrarius, quam restrin-
gens antiquam obseruantiam iudicari debet: vt colligitur ex initio ca-

pitis dum assertit, quod non debet reprehensibile iudicari, quod secundum temporum varietatem statuta, & leges mutentur; præsertim cum aliqua vrgens necessitas, vel evidens utilitas id expolcit. Ut videre licet in nostro inquietissimo Aragonum Regno, in quo, & si verum sit obseruationi antea dicatur, ut omnes Regnicolæ ad Regni Officia, & Digestates admittantur, ut constat ex antiquis fororū sanctionibus, ex for. i. de Prælaturis, & ex for. quod extraneus à Regno non possit habere officium in Regno editis anno 1423. & for. de alienigenis ad officia non admittendis edito anno 1461, tamen pro temporum varietate restrictæ sunt prædictæ dispositiones in eo, quod filii, & nepotes francigenarum, & si in Regno nati; & per hoc Regnicolæ reputantur; nihilominus tamen ab officijs, & dignitatibus exclusi sunt, per forum nouum de Prælaturis anni 1646. Et hoc propter maximam vtilitatem vrgentemque necessitatem adhærendo rationi tex. in dict. cap. non debet de consang. & affin.

Nec enim possunt prætermittere, dum iuste querelare liber, & mihi aniam præuet occasio, quod nō defuerunt, qui ducti calliditate quadā, in hac parte me momorderent latrarentque assertendo mihi fore obiciendā exceptionē prædicti fori, ut petitione prædictæ Cathedræ me excluderet, quæ ratio fortius me mouit, ad non recedendū, quā vt ipsorū petitioni assertiā, quorū inauditā falsitatem, plusquam mille concludentibus testimonijs conuincam, sed his pro nunc supersedeo, nam aborrebat satisfactionem querere tantæ falsitatis fieri, præsertim cum satisfactio sit, exceptionis species, quæ aliquo modo actionem supponere debebat, cum omnis exceptio sit actionis exclusio, at tex. in l. exceptio 2. l. Paulus 23. ff. de exceptionibus, qua via it prælii calumniatores, quos plusquam verba veritas conuincet.

Sed ex diuerticulo in viam regrediendo, ex hac adeo in praxi obseruata doctrina accipiunt lucem plura iura in argumentis adducta, quæ secundum temporum distinctionem, locorum, & personarum circumstantias sunt intelligenda, ad tex. in cap. sciendū 1. 29. dist. ex cuius decidendi ratione assertur lux tex. in dict. cap. quædam lex, vbi propter circumstantiā personarum, & loci procedebat, ut possent cōtra communē illius cōporis obseruantia in Anglii matrimonium contrahere: fuit hoc eis concessum speciali quodam iure, scilicet, quia nouiter ad Fidem Catholicam venerant, ne à bono quod cōperant metuendo austiora recederent. Similiter iura sacræ pag. suo tempore, & sua speciali ratione procedunt, ne scilicet alienigenæ uxores ducerentur, quia per eas filii Israel ibant ad Deos alienos, ut caus. 28. q. 1. in p̄nc. Anch. Sed in his longè, & specificæ enarrandis adaptandis, que nostra non vltierius protenditur Oratio, quia institutum fuit solum dicta ad aurem, ad oculum demonstrare, ut veritas oculorum fide spectata clarius innoticeret, iuxta illud Oratij.

*Signius irritant animos demissa per aures
quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*